



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput III. Ex Concilio a Arelatensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

his hactenus. De eo, quod monetur ut pro pace vobis impetranda Dominum Regem suo tempore conveniant: secundum Comici sententiam vobis respondeo: Quia opus est huic patrono, quem defensorem parat. Hoc vobis consulo ut conjugium ejus, quod ante factum ratione resistente non laudastis, post factum nec dicto, nec facto inconsulte approbetis: sed commune consilium, & iudicium provincialium Episcoporum. & ceterorum studiose expectatis, & longanimitate expectetis; & si quid adversi pro amore iustitia vobis acciderit, equanimiter supportetis: hoc attendendo, quia non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in vobis. Valete. Unde I. P. Concilii Illiber. accipiendi sunt iuxta perfectionem illius seculi, & antiquam Ecclesie disciplinam: sed cum indistincte matrimonium inter stupratorem, & virginem vitiatam permitti coepisset, nulla poenitentia facta mentione, illud stupratori injungit Gregorius in presenti cap. 2. notavi jam in dist. can. 14.

10. Deinde supra tradita assertioni obstat textus in cap. placuit 11. 36. quest. 2. ubi ex canone 3. Concilii Aquilgranensis ita legitur: Placuit ut hi, qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis cum eis postmodum convenient, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Ex quibus expressè deducitur, seducentem virginem, non solum eam ducere non teneri, verum nec eam in uxorem accipere posse. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, canonem illum procedere in raptore virginis, iuxta quaestionem sub qua compilatus est à Gratia-

no; cum enim secundum antiquos Ecclesie canones raptor non posset in uxorem accipere virginem raptam, ut probabimus infra in cap. final. de raptoribus, ideo PP. Concilii Aquilgran. in dist. cap. placuit, statuerunt rapientem, seu seducentem virginem, non posse, etiam parentibus consentientibus, eam in uxorem accipere.

Tertio supra tradita assertioni opponi potest textus in Can. 6. Concilii Illerdenfis, in illis verbis: Qui poenitenti vidua, vel virgini religiose vim stupri intulerit, si se ab eo sequestrari noluerit, pariter à communionem, & à Christianorum consortio segregetur: si verò illa, qua vim passa est, ad sanctam religionem redierit, in illa solum sententià excommunicationis teneatur, quousque publice poeniteat. Ubi cum agatur de virgine corrupta, & seducta, nulla imponitur necessitas contrahendi matrimonium cum virgine à se vitata. Igitur non rectè in presenti asserimus, stupratorem teneri virginem à se corruptam ducere, aut dotare. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo canone agi de femina religiosa, aut in statu poenitentia solennis existente, cum qua connubium non datur, ut de virginibus Deo devotis probavi in cap. 6. qui clerici, vel vovent de poenit. in can. 13. Concilii Illiber. Unde cum ratione status religiosi in casu dicti canonis matrimonium celebrari non posset, ideo stupratori non injungitur necessitas ducendi uxorem, aut eam dotandi. Accedit, nam in eo textu non agitur de poena, aut poenitentia injungenda stupratori, sed de poenitentia imponenda virgini religiose, aut poenitenti lapsae.

CAPUT III.

Ex Concilio^a Arelatenfi.

SI vir sciens uxorem suam deliquisse, qua non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps. Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non semper, recipere peccatricem.

NOTÆ.

- I. ^a **A** Relatenfi. In prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. legitur Aurelian. sed in nullo ex Conciliis Aurelianensibus, sive Arelat. hucusque editis reperitur textus hic Carnot. part. 8. Decreti, cap. 243. Gratianus in cap. ego 7. 34. quest. 1. citant illum ex Hermete in lib. Pastoris mandat. 4. quod verius credo. Hermes, sive Hermas, scripsit librum, quem inscripsit Pastorem, apud veteres celebrem: is liber, quamvis à sancto Hieronymo in lib. 1. de scriptoribus Ecclesie, utilis esse dicatur, & nomine scriptura à Sancto Irenæo lib. 4. cap. 37. citetur, & ab aliis antiquissimis scriptoribus, ut Clemente Alexandrino, & Origene, in testimonium adducatur; tamen illum inter apocrypha scripta rejecit Gelasius in Synodo Romana relata in can. de libellis, 15. dist. & sanctus Hieronymus in Prologo Galeato, & sanctus Athanasius in lib. de decret. Nicæna Synodi, Eusebius lib. 3. histor. cap. 3. Tertul. in lib. de pudicitia, dicunt librum hunc non esse in canone. Quis autem iste Hermes fuerit, non levis

quaestio est: nam Origenes in cap. 16. ad Romanos, Eusebius lib. 3. histor. cap. 3. D. Hieronymus in lib. de scriptor. Ecclesie, asserunt, hunc esse illum Hermam, quem salutare iubet Apostolus in epist. ad Romanos, cap. 16. cum ait: Salute Asynclitum, Pblegontem, Hermam, Anathalam. Bibliothecarius de vitis Pontificum, scribit Hermam, sive Hermetem auctorem libri Pastoris, fuisse fratrem sancti Pii Romani Pontificis, & librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, & ut ea scriberet, qua illi revelaverat, iusserat. Bellarminus de scriptor. Ecclesie, sacul. 1. fol. 48. existimat duos fuisse Hermetes, scripsisseque libros sub nomine Pastoris, sed librum Hermetis fratris Pij citò interivisse; librum verò Prioris Hermetis diutius durasse: & ita credo transcriptum fuisse canonem hunc à Carnotensi, & Gratiano ex illo priori libro Hermetis, quem salutat Apostolus.

COMMEN-

COMMENTARIUM.

2. **E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Vir sciens uxorem suam adulterium commississe, & in eo persistente, tenetur eam deserere; post peractam vero penitentiam debet eam recipere.* Quæ assertio quoad primam partem probatur ex Divo Augustino lib. 2. de adulter. in cap. non solum 28. quest. 1. D. Hieron. relato in cap. dixit Dominus, D. Chrysostomo relato in cap. si quis uxorem, cap. sicut crudelis 32. quest. 1. cap. 4. de eo qui duxit in matrim. quam prius polluit, c. quam sit 9. de excess. Prelat. Concil. Nannet. can. 12. ibi: Si cuius uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem si voluerit propter fornicationem; illa vero septem annis publice peniteat; vir vero ejus illa vivente nullam aliam accipiat: quod si voluerit adulteram reconciliare, licentiam habeat; ita tamen ut pariter cum illa penitentiam agat. Ex actâ penitentia post septem annos ad communionem inter, accedat. Similis forma & in muliere servabitur, si eam vir ejus adulteravit. D. Ildoro l. 2. de officiis Eccl. c. 19. Theodoro in suo Penitent. ibi: Si quis uxorem suam scit adulteram, & non vult dimittere eam, sed in matrimonio habere, tribus annis peniteat, & quandoque penitet, absineat se ab ea. D. Clemente lib. 6. const. c. 14. ibi: Qui reitnet adulteram, quæ legem naturæ violavit, legis violator est: qui adulteram retinet, stultus & impius est. Abscinde eam à carnibus tuis, quia non est auxiliatrix, sed insidiatrix, quæ mentem ad alium declinavit. Et l. 2. tit. 9. partit. 4. D. Thomas in 4. dist. 35. quest. unic. art. 2. D. Bonaven. in eadem dist. art. unic. qu. 2. Secundam partem probant textus in cap. quod autem, cum sequenti, 32. quest. 1. Hermes noster in fusori cap. ego 34. quest. 1. Illustrant ultra congestos à Barbola in presenti, Mendoza lib. 3. Concilii Illiber. c. 54. Cujacius in cap. ex parte, de sponsal. Vighellius in method. juris can. fol. 102. Basilus de matrim. lib. 9. cap. 17. nu. 2. Hurtado de resid. tom. 2. res. fol. 1. subres. fol. 21. Cajetanus tom. 1. opus. tract. 29. Mancinus de triplici juris collat. cap. 123. nu. 5. Anguianus de legibus lib. 3. cap. 21. Petrus Herodius lib. 4. Pand. tit. 17. cap. 12. I. Dartis in 32. qu. 1. & nos in cap. 65. Concilii Illiber.

3. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo; nam si solam adulterii rationem attendimus, nullum extat præceptum divinum divertendi ab uxore adultera in reatu peremptorio manente, siquidem Christus Dominus tantum ob adulterium divortium permisit, non vero iussit. Igitur vir non tenetur præcisè dimittere uxorem adulteram. Augetur primò hæc difficultas, nam quilibet favori pro se introducto renunciare valet. I. si quis in conscribendo, Cod. de pactis, l. penult. Cod. de Episcop. & cleric. l. final. Cod. de non numer. pecunia l. si quis inquilinos 112. §. 1. ff. de legat. 1. Sed divortium ob adulterium inductum est in favorem innocentis, & in pœnam nocentis, ob injuriam illi irrogatam, cap. idololatria 28. quest. 1. Igitur vir cogendus non est dimittere uxorem adulteram. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam sine culpa non est aliquis puniendus. Regulâ Sine culpa in 6. Sed si maritus cogatur dimittere uxorem ob ejus adulterium, punitur sine culpa, siquidem privatur ipsa cohabitatione cum periculo incontinentiæ: igitur non est cogendus dimittere uxorem propriam.

Quæ dubitandi ratione non obstante vera est DD. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, adulterium significare improbam, & illicitam cum uxore aliena commixtionem, vel conjunctionem, ut ait Consultus in dist. l. fugitivus, de V. S. Hinc dicimus adulterare rationes, vel monetas, adulterare testamentum, adulterinas literas inl. Divus. ff. ad leg. Pompejam de parric. l. 1. §. final. de servo corrupto, lant facta 16. §. eventit, ff. de pœnis, l. annonam 8. ff. de extraordin. crimin. l. si quis 6. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Nam adulterare est omne, quod sincerum est corrumpere, ut tradunt Brissonius, Verrucius, Ludovicus Cartion lib. 2. emendat. cap. 10. tom. 3. thesauri critici, & Hothomanus de verbis juris, verbo Adulterium. Dicitur autem adulterium in nostra significatione alterius thori accessio, à propositione ad, & nomen alter, altera, alterum: quasi ad alteram uxorem accessio, ut placuit Festo Pompejo, Brissonio, & Rebuffo ubi supra: & hæc est vera etymologia, reiectis quas adducit Laurentius Valla lib. 6. elegant. cap. 45. Bermondus de public concubini in rubric. de adul. Antonius Matthæus de crimin. ad tit. de adulter. cap. 1.

Deinde sciendum est variè definiri adulterium per repetentes in præfenti, Covarruviam de matrim. part. 1. cap. 1. num. 8. Iul. Clarum §. adulterium, & alios de adulterio scribeutes. Bocerus de definitio. adulter. cap. 1. ita illud definit, Adulterium est crimen publicum, quo per concubitus viri cum aliena femina sedus conjugale violatur. Quam definitionem ipse explicat numeris sequentibus. Sed brevius definiri potest, ut adulterium sit: Coitus mentalis, vel realis, per quem alterius thorus violatur. Quæ definitio constat genere, & differentiâ. Dicitur enim coitus mentalis, vel realis loco generis; in quo cum simplici fornicatione, stupro, incestuque convenit: mentalis vero, quia quoad forum internum mentalis coitus cum alterius conjugate adulterium est, ut probatur auctoritate Exodi cap. 20. Matthæi cap. 8. & Pauli ad Romanos cap. 7. Adjicitur, per quem alterius thorus violatur, loco differentiæ; in simplici enim fornicatione, stupro, & incestu alterius thorus violatur, indeque tantum cum conjugata committitur adulterium, ut docetur in linter liberam G. §. lex. ff. ad leg. Iul. de adul. & in dist. l. inter stuprum 121. ff. de V. S. & hanc definitionem probavit lex 1. tit. 17. partit. 7. & illustrant Covarr. in 4. i. part. cap. 1. num. 8. Bermondus ubi supra, Rebuffus in dist. l. inter stuprum, num. 1. Sylvester in summa, verbo adulterium, Azevedo in rubric. tit. 20. lib. 8. Recopil. Cantera lib. 2. qq. crimin. cap. 14. num. 24. alii relati à D. Ioanne Vela de delict. cap. 1. Ex qua definitione colligitur, conjugatum cognoscentem mulierem solutam, adulterium non committere jure civili attento, cum non violet alterius thorum; ac proinde non posse de adulterio accusari ab uxore tam civiliter, quam criminaliter, l. 1. Cod. de adnit. l. 1. Cod. Theodos. de repud. docent Tiraquell. ad leges connub. in l. 7. num. 42. Paleotus de nobis & spuris, cap. 42. Covarr. in 4. part. 2. cap. 7. §. 6. jure autem divino, & canonico verè adulter est; nam Dominus creavit marem, & feminam, non fœminas, Genes. cap. 1. vers. 27. disrumpit enim, atque violat fidem conjugalem, qui adharet meretrici, 1. ad Corinth. cap. 6. vers. 15. & 16. Jure canonico id expresse docetur in cap. dixit, c. nemo 32. q. 4. cap. non machaberis 32. q. 6. cap. ille 14. 32. quest. 5. cap. transmissa, de eo qui cognovit consanguin. cap. 3. intelleximus,

Adulterii Etymon.

Adulterii definitio.

intelleximus, hoc tit. Et licet vir non possit criminaliter ab uxore accusari, cap. apud misericordem. 32. quest. 1. poterit tamen ad thori separationem, ut docet Covarr. ubi supra: quomodo accipiendi sunt textus in cap. precepti, cap. christiana. 32. q. 5. cap. quemadmodum, §. illud, de iurejur. dicemus infra in cap. final. hoc tit.

6. Deinde sciendum est, nullum detestabilius probum adulterio patrari, aut aliquod foedius contra jus gentium facinus committi. Genesis cap. 26. Potuit corre quisquam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Et Levitic. cap. 20. Deuteron. cap. 22. Joannes cap. 8. Daniel cap. 13. l. probum 41 ff. de ritu nupt. cap. quid in omnibus, 32. quest. 7. D. Ambrosius lib. de Abraham. c. 2. & 7. l. auxilium, §. in delictis, ff. de minor. Ulpianus in frag. tit. de dotib. §. inter atrociora. Stobaeus sermonum cap. 6. Non est adulterio majus ullum malum. Dicitur sacrilegium nuptiarum in l. quamvis, ff. hoc. tit. Faciunt Nicolitrus in lib. de nupt. Quanta turpido, nequitia, & iniustitia sit in adulterio, quantum utriusque sexus ignominia inurat, &c. Clemens Alex. lib. 3. Pedagog. cap. 2. Pelusioti lib. 3. epist. 76. Inter atrociora & immania scelera recensetur in l. 1. Cod. Theod. quorum appel. Unde adulteri non gaudent indulgentia Palchali, l. 4. §. 6. 7. 8. cod. Cod. de indulg. crimin. ubi Gothofr. Illustrant Palatios Rubios in repetit. rubric. de donat. inter. §. 77. num. 3. Vega in cap. 4. §. de adulter. de judic. qui asserunt, adulterium esse homicidio gravius: & probare intendunt ex l. codicillis 88. §. matre ff. de leg. 2. Quod admittendum non est; nam revera adulterio gravius est homicidium, ut constat ex cap. si quis verius. 33. quest. 2. Nec contrarium probat Consultus in dict. §. matre. Nam omisa interpretatione asserentium, levius in ea specie fuisse homicidium, quia necessarium fuit ad defensionem propriae substantiae, cum occisus rapinam fecerit proprio occisori, argumento legis 2. ff. ad leg. Aquil. c. 2. de homicid. quia illa verba, dum ei rapinam facit, potius ponuntur a testatore ad augendam malitiam fratris homicidae: filius enim rapinam faciebat, id est locum parabat ad rapas ferendas; id enim significat interdum rapinam facere, ut docent Columella lib. 2. cap. 2. Cato de re rustica. cap. 31. & Pulbeus in libello de rer. alienat. Verius respondendum est, illa verba non esse accipienda comparative, nec significare fratrem adulterium uxoris commississe, cum testator uxorem appellaverit Charissimam in principio testamenti; sed accipienda esse positive: Sed & alia mihi deteriora fecit. Hoc est, sed & alia mala mihi fecit: sic enim Cicero in oratione pro Balbo, dixit: Hoc illi deterius contigit; ut explicat D. Joannes Vela de delictis. cap. 1. Nec tunc obstat textus in cap. 4. §. de adulteriis, & judiciis: cujus interpretationem in ejus commentario dedimus. Denique satis ostendit hujus criminis gravitatem Ulpianus in l. probum 42. ff. de V. S. ubi appellat adulterium probum naturae, quia per illud inviolabilia jura matrimonii confunduntur, ac deturbato parentis sanguine, ordineque naturae, incerti auctores vitae redduntur. Quod ea ex causa adeo abhorruerunt bruta animalia, naturae communis nexu illigata, ut adulteri sanguine sparso proprii thori vindicarent injuriam, ut de leone refert Plinius lib. 8. cap. 16. de elephante Alianus lib. 2. hist. anim. cap. 15. de turture Cassiodorus lib. 5. var. cap. 33. de aliis item probant Tiraquelus in l. 13. connub. Beyerlinch. in theatro vitae hum. tom. 1. verb. adulterium, Theophilus Ray-

naud. tom. 4. lib. 3. sect. 3. cap. 6. fol. 397. Loricus in cap. 20. Levit. Brosius ad Callidor. dist. epist. 33. Ferrandus Eduensis in l. inter liberos. ff. ad leg. Jul. de adult. Inde etiam provenit, nec feminam, nec militem excusari in hoc crimine, l. 2. §. si simul & l. mariti 29. in princip. l. vim. 39. ff. hoc. tit. cum agatur de crimine inspirante natura damnato, ac hujus primæva fœditatis inspectione. Nec relevat eum rusticitas, l. 2. de jure fisci, l. 3. §. etsi 22. ad Syllan. l. quicumque 8. Cod. qui admittit: Nec etiam minor ætas, quia in executionibus pœnarum cessat legis auxilium, l. auxilium 57. ff. de minor. Seldenus lib. 21. de uxore. Hebr. cap. 12.

Inde etiam suadente ipsa naturæ adulterium vindicatum fuit variis pœnis, et si inultum legamus apud aliquas barbaras gentes, quas refert Roman. 2. part. Reipub. Gentil. cap. 11. Ptolepius in hist. arcan. fol. 77. Apud Hebræos enim adultera comburebatur, Genesis cap. 38. vers. 24. lege verò Moysi ita cavebatur: Quicumque machatus fuerit cum uxore proximi sui, morte moriatur. Unde apud eos adulteri lapidari cœperunt. Levitic. c. 2. Exodi cap. 22. Deuteron. cap. 22. Danielis cap. 13. Joannis cap. 8. Marci cap. 10. D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 6. Apud Egyptios in adulterio deprehensus virgis cœdebatur ad mille plagas: mulier naso mutilabatur. Diodorus Siculus lib. 2. Biblioth. cap. 3. De Vandalis ita ait Salvianus lib. 7. de providentia. Addiderunt quoque ad libidinem comprimendam severas pudicitiae sanctiones, gladio impudicitiam coercentes, ut puritatem scilicet utriusque sexus, & domi connubio reservaret assensum. Et in publico metus legum; ac si in duplici presidio castimoniam interetur, cum & intus esset quod amaretur, & foris quod timeretur. Parthos refert Iustinus lib. 41. nulla delicta adulterio gravius, aut severius vidicasse. Lydiæ adulteram sine venia & misericordia puniebant, Alianus l. 17. hist. cap. 12. Apud Danos parte corporis spoliati adulteri necabantur. Saxo lib. 5. de rebus Dan. Apud Locrenses adulterii damnatus utroque oculo privabatur, ut refert Valerius Max. lib. 6. cap. 5. Germani adulteram abscissis crinibus nudatam coram propinquis expellebant, ut tradit Tacitus de moribus German. quorum jus novum refert Henelius de dotal. ubi supra. Omitto pœnas apud alias nationes statutas, quas referunt Petrus Gregor. lib. 36. synag. c. 6. Tiraquelus in l. 13. connub. Bocerus de adulterio c. final. Ant. Mathias de crimin. tit. ad leg. Jul. de adult. Ut ad jus civile Romanorum perveniamus, apud eos primus Romulus ita sanxit: Adulterii convictam vir. & cognati uti volent necant. Plutarchus in vita Romuli, Halicarn. lib. 1. Livius lib. 39. cap. 28. Valer Max. lib. 6. cap. 3. Gellius lib. 10. noctium, cap. 32. Sed hæc sanctio severa visa est statim Romanis; ideo Numa Pompilius leviolem legem tulit his verbis: Pellex sedem lunonis ne tangito, si tetigerit, criminibus dimissis agnam feminam cadito. Gellius lib. 4. noct. c. 3. Festus Pompejus lib. 1. de V. S. Postea verò crescente matronarum luxu, variis pœnis vindicatum fuit adulterium; aliquando pœna capitis. Livius lib. 7. Valerius Maximus lib. 8. cap. 2. Sapius multat. Suetonius in Julio, cap. 2. & 48. Tacitus lib. 2. hist. Plerumque relegatio extra ducentisimum lapidem irrogata fuit, donec Augustus legem Julianam rogavit, quæ ab ejus latore Julia dicta fuit; quia Augustus Julii nomen adoptione sortitus fuerat, de qua agunt Consultus in l. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. Suetonius in August. cap. 34. Horatius lib. 4. carminum, od. 5. quæ

quā lege stabilita fuit pœna tantum relegationis, *l. si quis 5 ff. de quæst. l. miles 11 ff. hoc tit.* non autem pœna capitalis statuta fuit; unde D. Augustinus *lib. 10. de civit. Dei*, cap. 5. aiebat, adulteria Romæ morte non fuisse punita antiquitus: & Apulejus *lib. 9.* ait: *Ac ne juris quidem severitate lege de adulteriis ad discrimen vocabo capitis.* Faciunt lex 4. §. adulterii ff. de re milit. l. 13. ff. de his quibus ut indign. l. 14. ff. de testibus. Paulus l. 2. sent. tit. 26. §. adulterii. Non tamen eā lege abrogata fuit facultas imponendi pœnam capitalem exacerbata ultione certis casibus, veluti adulterio commisso cum incestu, *l. si quis viduam 1 ff. de quæst. & in casu textus in l. miles 11 ff. hoc tit.* Unde pœnam capitalem lege Julia de adulteriis perpetratoribus impositam fuisse supponitur in *l. transigere 17. Cod. de transact. l. de crimine 9. Cod. hoc tit. l. si vir, C. Theod. eod. tit. l. 2. Cod. de Theodos. de indulg.* apud Anobum *lib. 4. contra Gentes*, ibi: *Adulteria legibus vindicantur, & capitalibus eos ad officium pœnis, quos in aliena comprehenderint sedera genialis se lætuli expugnatione jecisse.* Salvianum *lib. 7. de provid. Iuvenal. satyr. 2. vers. 29. Virgiliū 6. Æneid. Ammian. Marcel. lib. 28. Apulejū lib. 9. Metamorph.* *Ac ne juris quidem severitate, lege de adulteriis ad discrimen vocabo capitis*, Et ita capitalem pœnam lege Julia impositam esse docuerunt Cujac. *lib. 21. observ. cap. 17. Gedeus in l. inter 101. ff. de V. S. Marc. Lyclama lib. 2. membran. eclog. 3. & o. Henell. de dotat. ubi supra, fol. 283.* Deinde lex hæc Julia de adulteriis; ut vocatur in *l. 5. ff. hoc tit. l. 3. & 17. Cod. eod. l. auxilium 38. §. 10. ff. de minor. apud Salvianum lib. 7. de provid. vel de pudicitia, ut dicitur in l. 8. & 9. Cod. hoc tit.* apud Suetonium in *Augusto, cap. 34.* inter publica judicia recensita fuit, *l. 2. §. si in publico, ff. hoc tit. l. 2. Cod. Theod. eodem, §. item 7. instit. de public. judic.* Inde damnatus lege Julia infamia notabatur, *l. maritus 24. ff. hoc tit.* & ita privilegiis hominis integræ frontis privabatur, *l. infamem 7. ff. de public. jud. l. 1. ff. de his qui notantur infam. l. 5. ff. de calumniat.* Ideoque testis in testamento adhiberi non poterat, *l. 13. 14. & 18. ff. de testibus.* Etiam eadem lege jus occidendi adulterum patri, ac marito datum fuit, *l. patri 20. cum sequent. l. nihil 32. in princip. ff. hoc tit. l. Gracchus, Cod. hoc tit. l. 4. §. 2. ff. de his qui notant. infam. Paulus lib. 2. sent. tit. 17. §. 1. & 2. & lib. singul. de adult.* plura de ipsa lege Julia congesterunt Cujac. *lib. 6. observ. cap. 14. l. Gothofr. ad leg. 4. Cod. Theodos. quorum appel. Henel. de dotat. l. 10. Arniseus de jure connub. c. 5. Borellus tom. 3. decis. tit. 6. Brissonius ad leg. Jul. de adult.* Ant. Matthæus de crimin. ad eundem titulum. Forner. *lib. 3. rer. quotid. cap. 9. & lib. 4. cap. 16. & lib. 6. cap. 9. Anast. Germonius lib. 2. ant. madv. cap. 4. Demsterius ad Rosinum lib. 8. cap. 24. Mancinus lib. 1. de tripl. juris collat. cap. 46.*

8. Manet ergo, lege Julia impositam non fuisse pœnam capitis, etsi ea lege abrogata non fuisset potestas imponendi pœnam capitalem in atrocioribus adulteriis; quo modo conciliari possunt variz Doctorum opiniones circa auctorem hujus pœnæ capitalis ob adulterium. Nam Constantinum auctorem fuisse hujus pœnæ mortis in *l. quamvis 30. C. hoc tit.* in illis verbis: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet; existimantur Brisson. lib. singulari de hac lege pag. 105. P. Faber lib. 1. semestr. cap. 4. Ant. Faber lib. 2. conject. cap. 20. Pitheus in collat. legum. Mosais. tit. 4. de adulterio. Marfil. & Ritherusius in §. item lex, instit. de public. judic.*

Ant. Matthæus de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 3. de adult. cap. 2. num. 1. Unde docuerunt Brissonius ubi supra, Balduinus de legibus Constant. pag. 192. verba quæ extant in *l. castitatis 9. Cod. hoc tit.* (quæ auctorem habet Alexandrum Imperatorem) ibi: *Qui autem adulterii damnatum, si quocunque casu pœnam capitalem evaserit, sciens duxerit, vel reduxerit eandem, ex causa lenocinii punietur;* esse Triboniani, non autem Imperatoris, cujus etiam esse verba illa, *excepto adulterio*, in lege transigere, *Cod. de transact.* docuit A. Faber *lib. 2. conject. cap. 20.* Sed rectius Cuiac. *lib. 20. observ. cap. 18.* affirmat juxta supra tradita, quod quamvis lege Julia de adulteriis pœna capitis statuta non esset in adulteros, nihilominus quandoque extra ordinem adulteros capite damnatos fuisse, ut fecit Augustus cum Julio Antonino. Unde Alexander Imperator in *dict. l. castitatis*, quia suo tempore inceperant obsolescere adulterii pœnæ, & lex Julia dormire, ut aiebat Juvenalis *satyr. 2. vers. 27.* ipse ait, castitati & disciplinæ suorum temporum convenire, ut lege Juliā damnatā, in legitimis pœnis perseveret; hoc est, ut illi imponantur pœnæ, non solum quas lex Julia sanxit, verum & capitalis, si gravitas sceleris exigat: & ideo subiunxit ea verba: *Eum qui forte non damnatum capite, quæ casu quodam evaserit pœnam capitalem, duxerit, vel reduxerit, tanquam lenonem relinqui pœnis legis Julia.* Quo modo etiam intelliguntur textus in *dict. l. transigere, l. 4. Cod. Theodos. quorum appellat. l. 2. Cod. de judic. reliquorum.* Itaque Constantinus in *dict. l. quamvis 30.* capitalem pœnam in hoc delicto minimè de novo introduxit, sed jam velut obsoletam, ac sepultam postliminio quasi reduxit. Etiam ex novella 32. Leonis adulteri truncatione narium, aut aurium plectebantur: hinc lepidè Martialis *lib. 3. epig. 85.* ait:

Quis tibi persuasit naves abscondere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, ibi.

Sed quid egisti?

Justinianus verò in novella 134. gladii pœnam in viros quidem retinuit; adulteræ verò remisit verbera, eamque in monasterium detrudi voluit: inde est authentica *Sed hodie, Cod. hoc tit.* à qua non admodum dissimile est jus nostrum Septempartitum; nam in *l. 15. tit. 17. partit. 7.* statuitur ut adulter ad mortem damnetur, adultera verò vulpata in monasterium detrudatur: & novionibus legibus, videlicet *l. 2. tit. 15. lib. 8. ordin. l. 80. Tauri, l. 4. tit. 20. lib. 8. recopil.* adulteri traduntur marito puniendi unā cum omnibus bonis suis, instauratā lege *l. tit. 7. lib. 5. fori Iudicum.* Explicant Villadiego, Ant. Gomez. Didacus Perez in eisdem legibus, Julius Clarus, & Bayardus ibi, verbo *Adulterium.* Boslius in *tit. de raptu.* Et quomodo adulterium proberetur, ut pœnis his locus sit, explicant Quésada *qq. juris quæst. 16. Paz. in leg. 12. styli, Borellus, tom. 3. decis. tit. 6.*

9. Ut ad pœnas adulterii ex jure canonico perveniamus, priscis Ecclesiæ canonibus publica poenitentia adulteris imponebatur, *cap. si quid 23. quæst. 2.* immò & aliquando communio etiam in fine denegata fuit, ut probavi in *cap. 1. Concil. II. liber.* Etiam iure canonico approbata fuit pœna per Justinianum statuta in novella 134. *cap. 10.* videlicet detrusio in monasterium, *cap. intelleximus, hoc tit. cap. gaudemus, de convers. conjug. cap. consuluit, de appellat. Salcedo in praxi, cap. 85.* Facultas autem occidendi adulterum omnino denegata fuit, *cap. admonere, cap. quicunque, cap. si*

quid 33. *quest. 2.* docent Basil. lib. 9. de *matrim. c. 15.* Elcobar de *utroq. foro. §. 7.* Diana *part. 3. tit. 4. resol. 223.* Mendo in *statera, dissert. 3. quest. 2.* Prado tom 2. *Theolog. moral. cap. 20. quest. 1. §. 4.* latè Gibalinus tom 2. de *negotiatione, lib. 6. cap. 6. art. 1. regul. 2.* Theophil. tom 4. *lib. 3. sect. 3. cap. 6. fol. 389.* Covarr. 2. *part. de matrim. cap. 7. §. 7.* Fornerius 3. *rer. quorid. cap. 10.* Licet si maritus clericum cum uxore invenerit, & percusserit, non debeat pro absolutionis beneficio Sedem Apostolicam adire, *cap. 3. de sent. excomm. Covarr. 2. part. de matrim. cap. 2. §. 7.* quia inconsideratè, & iusto dolore motus hoc fecit, ut ait Consultus in *l. nec in ea, ff. hoc tit.* Etiam propter adulterium uxor privatur dote, & maritus adulter amittit dotalitium, seu donationem propter nuptias, ut latè probavi in *cap. plerumque, de donat. inter.* Tandem propter adulterium alterutrius ex conjugibus matrimonium dissolvitur quoad thorum, & mutuam cohabitationem, *cap. interveniente, cap. 1. Apostolus 32. quest. 7.* nisi uterque adulterium commiserit, *cap. significasti, cum sequenti, hoc tit.* vel maritus uxorem prostituat, *cap. discretionem, de eo qui cognovit consanguin.* nisi animum committendi adulterium non habuerit, scilicet cum per errorem ab eo, quem maritum esse credebatur, fuit cognita, *cap. in lectum 34. quest. 1.* vel per vim oppressa, *cap. proposito 32. quest. 5.* vel si maritum credens esse mortuum, alii nupserit, *cap. cum per bellicam 34. quest. 1.* vel si uxor tempore infidelitatis à viro repudiata cum alio consummaverit matrimonium; nam si ambo ad fidem Catholicam convertantur, non poterit repudiare obijcere conjugii repudiato consummationem illius secundi matrimonii, *cap. gaudemus, de divortis.* His tamen casibus exceptis licet ob adulterium divortium sit quoad thorum, juxta legem divinam, de qua D. Mathæus *cap. 19.* Quod provenit ex natura ipsius matrimonii, quia cum conjuges teneantur mutuam sibi servare fidem, ut probavi in *cap. final. de condit. apposit.* justè conjux innocens separatur à cohabitatione cum nocenti, nec tenetur cum eo juxta promissam cohabitare, argumento textus in *cap. pervenit. 3. de jurejur. l. fidem, ff. de transact.* junctis traditis à Barbosa *axiom. 98.* Ut autem divortium hoc fieri possit, debet præcedere adulterium, copulâ habitâ cum tertia persona, ob quam caro dividatur. Unde infertur, non sufficere ad divortium adulterandi animum, nisi opere subsequuto. Leander 2. *part. de sacram. disput. 26. quest. 7.* nec etiam oscula, aut similes amplexus præstare causam divortio, etiamsi adulterandi animo habeantur, *cap. lex 27. quest. 2.* Salmut. ad *Panciroliam lib. 1. tit. 46.* Nec etiam sufficiunt ad hoc divortium peccata contra naturam perpetrata ab altero ex conjugibus, quia divisionem carnis, quæ ad adulterium desideratur, accipimus pro ea, quæ juxta usum naturalem habetur, ut pluribus relatîs docet Leander *dict. disput. 26. quest. 11.* licet contrariam sententiam in praxi tenendam esse dicat Trullench. de *matrim. cap. 12.* Hæc autem facultas deferendi adulterium reciproca est, ita ut non solum maritus divertere possit ab uxore ob ejus adulterium, verum & uxor ob adulterium viri, *cap. final. 32. quest. 5. cap. placuit 32. quest. 7.* Cum enim uterque æqualiter sibi ad invicem ad fidem ex justitia servandam obligentur, sicut vir innocens potest dimittere uxorem adulteram, ita & uxor discedere valet à viro adultero, ut contra Cajetanum probat Leander *dict. disput. 26. quest. 3.* Nec ullum tempus præfinitum

est, intra quod conjux innocens possit deferere nocentem; sed licitum est innocenti quocunque elapso tempore divortium petere, *cap. admonere 33. quest. 2.* Licet enim jus accusandi adulteram legitimo tempore præscribatur, *l. adulter. Cod. hoc tit.* tamen quoad petendum divortium nulla temporis præscriptio admittitur. Basil. *Legion. libr. 9. de matrim. cap. 16. num. 4.* An autem propriâ auctoritate liceat dimittere adulteram, & alia de hoc divortio, exposui in *cap. significasti, de divortis.*

His suppositis ratio præsentis assertionis, quare videlicet teneatur maritus dimittere uxorem adulteram, provenit ex eo, quia eam retinendo præstat ansam suspicandi suo consensu adulterium commissum fuisse, & qui retinet adulteram, participes creditur ipsius criminis, & patronus turpitudinis censetur, *cap. quemadmodum §. 1. de jurejur.* & ideo Domitianus Imperator Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissa adulterii crimen intenderat, erasit è judicio albo, ut refert Suetonius in *Domitiano cap. 8.* Ulpianus in *l. 2. §. unde queri, ff. hoc tit.* Claudium Gorgum virum clarissimum, cum deprehensam in adulterio uxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore lenocinii damnatum fuisse à Severo refert Laonicus Chalcondilas *lib. 3. de rebus Turcicis, ait apud Gentes* quasdam diram esse, & infamem imprecationem illam, ut quis repudiatam uxorem iterum recipiat. D. Paulus, qui inter præfatos monachos vitæ sanctitate, & morum auctoritate claruit, non aliam institui sui, & solitarii voti occasionem habuisse fertur, quam quod uxorem in adulterio deprehensam retinere nolens, in solitudine, & desertis locis monasticam vitam professus obijt, ut refert Nicephorus Calixtus *lib. 8. histor. cap. 40.* Solonis lex maritum adulteram retinentem infamiâ notavit. Demosthenes in *oratione contra Nicetam.* Jure civilis Julia coëceter eum, qui non statim post adulterium uxorem dimittit; sive eum, qui in adulterio deprehensam retinet, *l. mariti 29. ff. ad leg. Jul. de adulter.* quia hoc lenocinii loco habet, *leg. 2. Cod. cod. tit. eademque,* quâ & adulterium, poenâ persequitur, *leg. auxilium in fine ff. de minor. l. 3. §. et si, ff. de accusat.* & hoc Paulus *lib. 2. sentent. tit. 27.* in hæc verba scribit: *Enim, qui deprehensam in adulterio uxorem non statim dimisit, reum lenocinii postulari placuit.* Tantam enim mariti lenitatem, qui uxori matrimonium violanti non irascatur, adulterumque in ipsa turpitudine deprehensum non coëceter, non esse ferendam lex existimavit; & ita in lenocinii crimine jure optimo ponit, quandoquidem, aut lenonem esse, aut planè ferreum necesse est, cui scienti, prudentique sine dolore tanta injuria infertur. Atque ita Claudium Gorgum clarissimum virum, cum deprehensam in adulterio uxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore damnatum lenocinii Ulpianus refert in *l. 2. §. unde. ff. ad l. Jul. de adult.* Nec reprehensione caruisse illam Tribuni militum patientiam, qui post delatum adulterium uxorem retinuerat, quasi contentus amulum removisse, narrat Plinius *lib. 6. epist. ad Cornel.* docuerunt Reuarius *lib. 4. variar. cap. 6.* Brissonius ad *leg. Jul. de adult. pag. 183.* Unde rectè in præfenti docetur, maritum teneri dimittere uxorem adulteram, ut ita vitetur scandalum, quod eo sciente, & patiente adulterium perpetravit. Inde infertur, maritum non teneri uxorem dimittere, quando adulterium ita occultum est, ut probari nequeat,

nequeat, cum in casu cesset ratio scandali, ut docuerunt Glossa verbo Patronus, in cap. 1. 32. q. 1. Alberic. in dictionar. verbo Matrimonium 8. vers. Quod si aliquis, Turriscrem. in cap. Apostolus 32. quest. 7. art. 2. Inde etiam deducitur, uxorem non teneri dimittere maritum adulterum, pertinacem, & publicum; nam cum scandalum prorsus cesset in uxore non dimittente virum adulterum, cum uxores aegre ferant, ut viri aliis commisceantur, non tenentur dimittere virum adulterum, ut docent Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 14. num. 29. nec tunc obstat textus in cap. si quis uxorem, el. 1. 32. quest. 1. ubi docetur, virum & uxorem aequales iudicari quoad obligationem divertendi propter adulterium utriusque; nam intelligendus est quoad facultatem divortii celebrandi ratione adulterii, non autem quoad obligationem divertendi. Tandem inferitur non teneri maritum divertere ab uxore eo casu, quo scandalum inde confurgens aliis remediis auferri valeat, ut docet Sanchez dict. disp. 14. num. 15.

II. Ut rationem secundae partis praesentis assertionis assignemus, sciendum est, quod licet jure civili attento maritus uxorem adulteram, & dimissam iterum recipere nequiret, l. castitati, Cod. ad leg. Jul. de adul. tamen ad eam redire valebat post abolitionem criminis, l. generali 34. §. ream, ff. de ritu nupt. aut si maritus ab accusatione destitueret, l. sine 27. de adul. quam exponit Datis in 32. q. 1. ad fin. & cum per poenitentiam delicta aboleantur, recte potest maritus uxorem adulteram, sed poenitentem recipere. Et licet non teneatur ex iustitia eam poenitentem recipere, tamen tenetur ex charitate, de qua charitatis obligatione accipiendi sunt textus in cap. quod autem 32. quest. 1. cap. de benedicto, cap. ego dixi 35. quest. 1. & praesens textus in verbo Debet. D. Bonavent. in 4. dist. 34. art. 1. quest. 5. docuit Basilus lib. 9. de matrim. cap. 19. Germonius 1. animad. cap. 8. et si contrarium defendat Arniseus de jure connub. cap. 5. sect. 9. intendens probare in his verbis tantum consilium contineri, & nunquam debere innocentem recipere nocentem. Si autem velit innocens nocentem recipere, tenetur nocens eum sequi, quia sententia divortii tantum prolata est in favorem innocentis. Sunt etiam casus, in quibus innocens omnino cogitur recipere peccatricem emendatam. Primus est, si suspectus sit de propria incontinentia. Secundus si innocens etiam adulterium commisit ante, vel post sententiam divortii, quia tunc cum etiam innocens inferat injuriam conjugii dimisso, & paria delicta mutuam compensationem tollantur, l. viro, ff. soluto matrim. ideo innocens post adulterium tenetur recipere conjugem dimissum, cap. ex litteris, de divortii, cap. penult. & final. hoc tit. Nec interest quod sententia divortii jam prolata sit, quia cum talis sententia respiciat statum praesentem, juxta quem prolata est, non tollit jus compensationis, si innocens adulterium committat.

III. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro cuius solutione examinandum est, an maritus statim ac agnovit uxorem adulteram esse, teneatur eam dimittere, ac deferere? & distinguendum est inter adulterum occultum, & publicum. Primo casu potest maritus uxorem retinere, & cum ea cohabitare, cap. de benedicto, cap. quod autem, cap. non erit, cap. apud misericordem, 32. quest. 1. nisi animum habeat ascendendi ad sacros ordines, quia cum irregularitatem contrahat, si eam postea

cognoscat, cap. si laici, 34. dist. tenetur eam abjicere. Secundo vero casu, cum adulterium notorium est, propter scandalum, quod inde nascitur, & quia eam retinendo patronus turpitudinis videtur, ideo juxta supra tradita tenetur ipsam adulteram dimittere, immo & si cum ipso scandalo eam retinuerit, per triennium poenitere debet, cap. si quis uxorem 6. 31. quest. 1. Basil. Legionensis lib. 9. de matrim. cap. 18.

Adhuc supra tradita assertioni obstat textus in cap. quemadmodum, §. illud, de jurejur. ubi proponitur quendam maritum jurasse, nunquam se deserturum uxorem suam pro nullo crimine. Consultus fuit Innocent. III. an tale juramentum servandum esset, nec ne. Et respondit summus Pontifex, simile juramentum temerarium esse, quia si mulier infidelis sit, & nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, debet illam deferere, & accusare, & nisi se corrigat, dimittere. Consequitur alter casus, quid si juraverit, se non accusaturum, aut deserturum propter crimen adulterii? Et quaeritur utrum tale juramentum sit observandum, nec ne? Et respondet Innocent. III. tutius esse juramentum observare, & uxorem peccatricem ad poenitentiam reducere. Quem textum ita expendo. Si maritus teneatur uxorem publice adulteram adhuc non peracta poenitentia deferere, non valeret juramentum in contrarium factum, tanquam illicitum, ex cap. in malis, cap. juravit, cap. Innocent. 22. quest. 4. cap. Quintavallis, cum aliis, de jurejur. Ergo maritus non tenetur uxorem adulteram dimittere. Quam difficultatem ut aliqui dissolvant, asserunt maritum eo casu posse deferere uxorem, tutius tamen facere, si eam non deseruerit, ita ut verbum tutius, in eo textu consilium, non praecipuum inducat, ut in cap. communem, de sponsal. Sed haec solutio sustineri non potest, quia verius est, in eo textu, verbum tutius, inducere necessitatem, quia in his rebus, quae ad salutem animae spectant, multo verius est, teneri nos ex praecipuo tutius eligere, cap. ad audientiam, de homicid. Deinde quia juramentum servari debet semper ac quando nullum datur dispendium salutis aeternae, cap. debitores, cum aliis ibi adductis, de jurejur. Ergo in specie illius textus debet omnino juramentum servari. Quare Anguianus de legibus lib. 3. cap. 21. docet in specie illius textus non teneri maritum uxorem deferere, quia cum juramentum illud emittendo renunciasset juri suo, quod ejus favore introductum erat, ideo tale juramentum validum fuit, & cum ratione illius juramenti maritus non desereret uxorem, ulla leonocinii suspicio dari non poterat, nec praesumi ex ejus voluntate adulterium committi.

Etiam supra tradita assertioni opponi potest textus in canone 65. Concilii Illiber. ibi: Si cuius Clerici uxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus nitor suus mœchari, & eam non statim projecit, nec in can. 65. sine accipiat communionem, ne ab his, qui exemplum & 70. bone conversationis esse debent, videantur magis Concil. illiber. Igitur laici, in quibus bona conversatio ad exemplum aliorum non desideratur, non tenentur uxores adulteras statim dimittere. Augetur difficultas ipsius canonis ex Concilio Tolet. 1. can. 7. relato in cap. placuit 33. qu. 2. ubi in eadem specie docetur, clericos non debere ejicere uxores peccantes, ne forte illis majorem peccandi licentiam praebant: sed potius in domo retinere, jejuniisque, & aliis poenis eas coëtere. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est in d.

cap. 63.

13. Exponitur cap. quemadmodum, §. de jurejur.

14. Exponitur cap. si cuius Clerici uxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus nitor suus mœchari, & eam non statim projecit, nec in can. 65. sine accipiat communionem, ne ab his, qui exemplum & 70. bone conversationis esse debent, videantur magis Concil. illiber.

cap. 63. *Concil. Illiber.* tantum juberi clericis uxorem peccantem dimittere, quia de laicis idem districtius cavebatur in can. 70. *eiusdem Concilii*, ibi: *Si conficio marito, & ipso consentiente fuerit uxor mœchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem: si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.* Ubi de lenocinii turpitudine nonnulla notavi: & licet deesset hæc constitutio, adhuc argu-

mentum à contrario sensu deductum non obstat, cum sequeretur absurdum. Nec obstat textus in d. c. *placuit*. Nam in eo canone expresse jubetur, ut clericus mulierem peccatricem à cohabitatione abiciat, nec cum ea cibum sumat: jubetur tamen, ut in domo propria, tanquam in carcere privato, ut exponit *Fornier. lib. 3. rer. quotid. cap. 10.* eam retineat, ut jejuniis, & aliis piis operibus maceretur; non tamen quia cum ea cohabitare possit.

CAPUT II.

Ex Concilio^a Parisiensi.

Maritis etiam ex^b suspitione uxores accusare permissum est; & ipsi plus ceteris de adulterio & accusare possunt, & c^c defendere.

NOTÆ.

1. ^a *Parisiensi.*) Etiam ex Concilio Parisiensi citatur textus hic à Burchardo *lib. 16. Decreti, tit. 3. cap. ult.* in prima autem collectione, *sub hoc titulo cap. 5.* legitur *Alexander III. Parisiensi Episcopo.* Quam inscriptionem veriorum credo, cum in nullo ex Conciliis Parisiensibus hucusque editis reperiantur verba in præsentis transscripta: & forsitan hic refertur fragmentum alicujus epistolæ missæ ab Alexandro III. Parisiensi Episcopo. De Parisiensi diocesi nonnulla adduxi in *cap. final. de rescriptis.*
2. ^b *Ex suspitione.*) Licet regulariter ex sola suspitione nullus accusandus, damnandusque sit, *cap. multi 2. quest. 1. D. Thomas 2. 2. quest. 60. art. 3.* quia nemo nisi legitimis probationibus, & luce meridiana clarioribus convictus fuerit, damnari valet, *cap. 1. cum sequent. 2. quest. 1. l. qui sententiam 16. Cod. de pœnis:* quare secundum Tullium *Calliodorus lib. 1. variar. epist. 3.* Siculæ gentis naturam damnat, ut quæ facilius ad querelas, etiam de suspitionibus accusare soleat; proinde maritus lenocinii crimine teneri dicitur, si uxorem in ipso scelere deprehensam, non verò si suspectam de adulterio retinuerit, *2. Cod. ad leg. Jul. de adult.* Tamen interdum ex suspitionibus proceditur, & quis damnatur. Unde Imperatores in *l. 2. C. de hæretico.* eos etiam, qui vel levi argumento detecti fuerint ab orthodoxæ religionis tramite deflexisse, ut hæreticos damnant, & quandoque criminum suspitionem pariter ac ipsa crimina vitari, jura præcipiunt, *l. 2. l. civile 5. Cod. de furtis, l. 2. Cod. Theodos. de famosis libel.* ubi pro abdicationem, reponit vindicationem, *Fornierius lib. 1. rer. quotid. cap. 26.* Quare ob solam suspitionem accusari posse mulierem adulterii, docetur in præsentis, & in *l. quamvis 30. Cod. ad leg. Jul. de adult. l. uxor 7. Cod. de repudiis:* & refert *Quintilianus declamat. 284. de adultero sacerdote,* ibi: *Sed fingere ex suspitione egisse cum illo adulterii, nempe damnatus caruisset sacerdotio,* &c. Hoc enim singulariter admissum est in crimine adulterii, quo magis in officio contineretur pudicitia mulierum, quas non ab adulterio tantum, sed ab ejus etiam suspitione alienas esse oportet; ideo jure civili conceditur marito post trinam denunciationem occidere eum, quem de adulterio suspectum habet, *novel. 117. §. his quoque.* Legimus etiam *Crispum Constantini Magni filium* jam *Cæsaris dignitate præditum*, ob suspitionem consuetudinis cum *Faulsta*

noverca à patre occisum indictâ causâ, apud *Suidam* verbo *Crispus*, *Zonaram lib. 3. annal.* Et uxorem non tantum ob fornicationem, verum & ob fornicationis suspitionem, ut accusari à viro, sic & dimitti posse testatur *D. Hieronymus in cap. dixit 32. quest. 1.* idque *Cajo Cæsari* contigisse memorat *Plutarchus in ejus vita.* Hic enim cum fortè *Pompejam* uxorem repudiasset ob suspitionem stupri noctu cum *Clodio* in sacris *Bonæ Deæ* commissi; cumque testis in ream ipse citatus, nihil se eorum, quæ objecta fuerant, nosse responderet; interrogavit accusator, cur ergo uxorem tuam repudiasti? At ille: *Quoniam, inquit, meam nec suspitionibus quidem obnoxiam esse oportere censeo.*

^c *Et defendere.*) Verba hæc exposui in *cap. tuæ 5. de procurat.*

COMMENTARIUM.

IN præsentis tantum agitur de accusatione uxoris adulteræ, circa quam varia singulari jure recepta sunt, quæ in aliis publicis judiciis non procedunt. Et primò licet ad accusationem publicorum criminum omnes admitterentur, pensatis accusatorum personis, dignitate, ætate, moribus, aliisque causis *l. si plures 16. ff. de accusat. l. 2. l. 3. §. 1. ff. de popular. action. l. 3. §. si ad plures 9. ff. de sepulchro violat. l. 1. §. lege Jul. l. mariti 29 §. penult. ff. hoc tit.* at in accusatione adulterii proprium, præcipuumque jus fuit mariti, parentisque, atque in primis mariti, cui meritò ob violatum adulterio thorum, injuriamque præcipuè illatam, dedit *lex Julia* primum in accusando locum, utpote injuriæ propriæ vindici, ideoque idoniori accusatori, *l. 2. §. si simul 8. l. si maritus 15 in princip. ff. ad leg. Jul. de adult.* *Tertullianus de cultu femm. Maritus est castitatis exactor: mulieribus* (certò) ratio castitatis persuadet, pena legis imponit, terror maritalis extorquet. *Quintilianus declamat. 339. Mariti mores excutiant, mariti severitatem desiderant.* Post maritum, eique deficienti, aut non accusanti, succedit parens, suæ itidem injuriæ vindex, ob naturale permanens, etiam in matrimonio: pudoris, & amoris vinculum, *dist. l. 2. §. 8. l. 4. §. 1. dist. l. si maritus 15.* Quod adeo procedit, ut si maritus præventus à patre, vel vir, parentisve ab extraneo accusatore, adhuc semoto eo, ut minus idoneo, debitus cuique ex *lege Julia* accusandi locus servetur. Deinde post maritum admittuntur ceteri necessarii, exclusis extraneis, *l. quanto 30. in princip. Cod. hoc tit.*